Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



9

Epiphanio prope templum sepultum, postmodum ~~a S. Jacobo fratre Domini~~ una cum corpore S. Simeonis senis fuisse translatum in montem Oliveti et juxta corpus S. Jacobi fratris Domini depositum, narrat Gregorius Turonensis l. 1 Mirac. c. 27. Solennitas translationis corporum S. Jacobi fratris Domini, et SS. Simeonis et Zacharie instituta est ad Calendas Decembris Martyrologio Arabo-aegyptio. Quamdiu ibidem tria corpora SS. Jacobi, Zacharie et Simeonis permanserint, non constat. Delata postmodum fuisse Constantinopolim, et in templo, ad honorem S. Jacobi fratris Domini a Justino juniore Imp. ejusque uxore Sophia constructo, deposita, testatur Georgius Codinus in Orig. Constantinop. ~~apud~~ apud Henschenium Act. SS. Maji ad diem I. qui addit: Zacharias, qui hic Propheta vocatur, videtur esse Pater S. Joannis Baptiste, cujus etiam ibidem coma asservatur; nam ipse Zacharias, ~~qui~~ ad diem V Novembris quo colitur, etiam Sacerdos et Propheta compellatur. Antea tamen, quam Constantinopolim deferretur Corpus S. Zacharie, in urbe Sebaste juxta Reliquias S. Joannis B. aliquandiu asservatu fuisse, scribit Joannes Phocas in Descriptione Locorum sanctorum: A dextera altaris urnula visitur, in qua S. Zacharie Praecursoris Patris corpus servatum fuerat: a laeva altera urnula, in qua corpus S. Elisabetha ejusdem Patris jacet. Demum Constantinopoli Venetias idem S. Zacharie corpus translatu[m] narrat ~~Theodoretus l. 2 epist. 5.~~ ~~Misit Leo~~ Sabellicus apud Baronium ad an. 814 § 56: Misit Leo

firmenus) publice Venetias Zacharia corpus
um parte sacratissima Crucis, ac Domini
vestis, et alterius, quae Deipare fuit virgi-
s: quo Patriciacus Princeps novo intulit
mplo, quod Zacharia nomine statuendum cu-
vit. Vid. Baronius ad an. 814 § 56: ~~et~~ apud